

Ex Libris Ioannis Nencini
187[illegible]

LEPIDI

COMICI VETERIS

PHILODOXIOS

FABVLA

EX ANTIQVITATE ERVTA

AB ALDO MANVCCIO

AL DVS

LVCÆ ƆICIƆXXCIIX

TYPIS GALILÆIANIS

1844

AVVERTIMENTO.

Il testo che noi pubblichiamo in questa edizione del celebre *Filodossio* di Leon Battista Alberti, fu da noi tratto dal Codice Magliabechiano (classe VI, N.° 198) del XV secolo, ed era destinato a far parte de' Documenti che seguitano il Discorso intorno alla Vita e alle Opere del detto Alberti, scritto dal Dottor Anicio Bonucci, e da lui premesso alle *Opere Volgari* del nominato Autore, le quali attualmente per sua cura si stampano in Firenze co' tipi della Galileiana. Ma nell' atto appunto che il componimento stava per essere mandato sotto il torchio, avendo il prefato editore scoperto esistere nella Biblioteca Estense di Modena lo stesso originale, tosto di esso procacciavasi accurata copia, ed al testo Magliabechiano lo preponeva. Sennonchè essendo già anche questo, come si disse, bell' e in pronto per l' impressione, e d' altronde contenendo una lezione variatissima dall' Estense, perchè il lettore potesse conoscere come la Favola si leggesse prima che il suo Autore, correggendola in in infiniti luoghi, la pubblicasse come sua propria

cosa, così, credemmo non mal fatto di farne stampare, anche di questo testo, un piccol numero di esemplari. È noto come Alberto d'Eyb fin dal secolo XV ne pubblicasse alcune scene nella sua *Margarita*, attribuendola a Carlo Aretino, e così si sa come altri di quel tempo la credessero di un Lepido comico dell'antica latinità, e finalmente come Aldo il Giovane riproducendola nel 1588 colle stampe di Lucca la confermasse di questo supposto Autore latino. Ma l'edizione aldina essendo divenuta rarissima, così pensammo, per curiosità bibliografica ripubblicando la nostra, di porvi il frontispizio coll'impresa aldina, non che la lettera con cui Aldo dedicò la sua stampa al professore di Bologna Ascanio Persio.

ASCANIO PERSIO ALDVS MANVCCIVS S. D.

Lepidam, Lepidi, Antiqui Comici quisquis ille sit, fabulam ad te mitto, eruditissime PERSI, *quae cum ad manus meas pervenerit, perire nolui, et antiquitatis mihi rationem habendam esse duxi. Multa sunt in ea observatione digna, quae tibi totius vetustatis solertissimo indagatori, non displicebunt. Mihi certe cum placuerint, te cum meo sensu congruere judicavi; quod te praeclare norim qui tua consuetudine tam diu suavissime sim usus nuncque ea iniucundissime caream. Fac me ames quanto ego te maximo tuo merito in oculis fero.*

Lucae, XIII Kal. Nov. MDXXCIIX.

PERSONÆ.

PHILODOXIOS ***adolescens.***

DITONVS.

FRONTISIS.

POTENTIO.

FORTVNIVS.

DOXIA ***matrona.***

FIMIA ***soror.***

MNIMIA ***ancilla.***

ALITIA ***virgo.***

THICHIA.

CHRONOS.

LEPIDI COMICI

PHILODOXIOS FABVLÆ

PROLOGVS.

LEGE FELICITER.

Non diu preivit temporis post quam ebibi, et nescio an abunde nimis; sed erit vobis indicio quod de bibundo exaudierim quam longe limites, si apud vos loquar barbare. Nunc ascultate, et iudicium date. Exoratum capi hanc unam singularem precibus e vobis ut impetrem gratiam, non ad vituperium in postremis dari, si praeter vestram de nobis expectationem in negotium me ad scribundas fabulas miserim. Quod si hoc sensero, vestra pro facilitate e vobis posse, accipiam id pro summo ut erit, opere pretio, diffundamque, quam hic subgero fabulam usque adfluat in vulgo manus. Hanc et enim si inter vos familiarem intellexero, animo institutionem ponam, fortassis, ad procreandas reliquas. Nunc sumite id vestra ex animi humanissimitate, mihique, aetatique meae, precibusque apud vos meis concedite, sinite ut exorem. Non quidem cupio, non peto in laudem trhai, quod hac XX annorum aetate hanc ineptius scripserim fabulam. Verum expecto, haberi apud vos hoc persuasionis, non vacuum me scilicet non ex undique incure meos obivisse annos.

Datis ne admodum hoc gratiae? et datis video. Ergo a me cupitis fabulam. Hercle et bellula est. Insunt qui ament qui decipiant! qui construant festos certiores vos redo. Haec est fabula. Philodoxios haec dicitur fabula. Quid conspectatis? quid pendetis? fabule nomen est. Hem!

jam nunc vides amplius me vobis notum: voltis dixero. Sum captus, demens, et insitus sapiens; hoc habetis iam. Nomen lepidus. Ha, ha, he et vos lepidi estis. Ergo hanc tenete fabulam.

FABULÆ ARGUMENTUM.

Philodoxios, adolescens Doxiam civem romanam amat perdite. Estque illi fide optima et singulari amicitia, coniunctus Frontisis, qui cum omne consiliorum congerat. Dat operam Frontisis, amici causa, Ditonum amatae; convicinum benivolentia sibi ut advinciat plurimum; functoque officio Ditonis fidem prestat rei defuturum numquam. Dempta vero fide, ab his cauta astutia res omnis agitur quae ad amorem sit. Post interim Fortunius Potentionis suasu hanc Doxiam cupere cum occeperit, datis legatis, acceptoque repudio abnegat omnis hymeneus, qum, vel potius in aedes subiit; Fimiamque Doxiae sororem unicam viciat. Tandem a Mnimia ducto, eiusque reperto viro Frontisi edicto Chronos ita perfectum est, ut sedatis omnibus hanc compressam hic teneat! Hanc amatam hic alter teneat, capiat.

PHILODOXIOS FABVLA INCIPIT.

SCENA I.

FRONTISIS.

Et merito superis gratias habeo, qui me hoc etatis tum libere, tamque ut volunt, sinunt degere. Quanto enim hoc felicior sum qui me huc demisit. Non enim ullis, ut ipse omnibus afflictor a curis, quas forte, ut assolet, nunc animo denumerat suo. Sic scilicet debueram, hoc fecissem, recte institueram, forte id dixerit istuc ispum erit; at nolim; at malim, Dii bene vertant! Merito ergo Diis gratias,

habeo quam vivo ut volo, quod quidem libertatis. Et profecto graviter ejus causa animo afficior. Video enim quem perdite amet, quem timeat, quem affectet, quem expectet, que omnia male animum et trudunt, et scindunt, et agitant suum. Curavi maxime ut hoc tantum furoris ab se ut extirparem: non quiit. Malum enim hoc jam radices dedit nimias. Sed proh deum! quid hoc monstri est? Recte igitur mecum disceptare soleo, qui major furor sit, an is quem Mars agitat, an is quem Venus inficit! Hoc et jam nunc scio, id jam olim scio, hunc nostrum fore, plus magis ex amore furibundum. Et quam accurate, quam praemeditato, quam ex opera hoc me insit negotio conficere. Haec dixit: nosti quod te bona fide diligo, et nosti angiportum ubi operam omnem, diem omnem, meque omnem contrito miser. Istuc ito, ibi si quid videris si quem transeuntem speculato omnia. Nosti ibi directo, ad laevam, quasi aedibus amatae coadiunctum hostium semifractum ab esum ymbri, ubi Plutonis statua super instituta est. Ædes ille multo mihi comodo esse poterunt, dum in illis familiaritatem, qui inhabitat, nos inserpiat. Est ut hominem convenias, teque amicum, et vitae meae amicum, et quasi vitam prestes. Hinc haud commoneo quiquam, nec dum impero, tu te sapis et frugi es. Hominem ut agnoscas, huc advorte. Est niger, subflavus barba, et capillo multo magno, indutus pellitio, claudus et quasi cequus. Haec dixit: tum abii, huc accessi hodie iterum atque iterum: bis quesivi hoc totum convicinie, nusquam hominem, fessus sum. Hic ergo operiar dum redeat. Sed quis est qui huc inter eundo interloquitur? ipsus vero ille est.

SCENA II.

DITONVS, FRONTISIS.

Dit. Iam ut mihi persuasi fore, ita fato evenit. Dum etenim studeo illis obsequi foenerariis, studeo iterum servitutem consequi, qui quando suum sibi fraudent genium,

sibique victum discarpiunt pexume! Quid censes aliis facturos dum queant fore? Neque enim illis meo opere sat est cuncta quae sint ad rem domesticam et sumptum suppeditarier, quin me volint in servitutem redigere. Coecus sum, fateor, claudus sum fateor: hoc fateor et non ita quin viderim et aufugerim opportunio. Sed quid hic sedet homo? Forte ne ex hiis illis quispiam me ut intercipiat miserum! Quis tu? et qui hic? Audin? quo te admoves? Hoc tibi edico fieri, iniuriam libero qui meminerit semper dum mihi fiat. Audin? Ditonus, sum olim Thychiae famulus, nunc ejus ob gratiam et quia bene de se meritus sum, quia facio omnia ejus ex voluntate et sententia, manu me libertate demissum. Audistin? iam liber sum, et te liberior libero; ne me tetigeris: hoc dico, ut tuo tibi caveas dorso, neve ut tuae confidas te temeritati.

Fron. Proh deum! quam mihi provinciam delegavit: non enim magis cupio quam timeam rem et sententia posse succedere.

Dit. Et hercle! praeter viri boni officium hoc est, vos mihi fore obnoxios, qui studeam cunctis, et praesertim vobis me in benevolentiam subdere. Numquid nam hoc e vobis meo benificio conmeritus sum, ergo ac si elaborassim saxa ut liquefacerem, et lateres ut lotos redderem! Dii vostram fidem!...

Fron. Volo ego te hoc.

Dit. Me? at me ne cogitas, ne me comprehendas: erit hoc mihi pro vi, iniuria, et dolo.

Fron. At volo inquam.

Dit. At nolo inquam: hem! quid manum invehis? o populares, opem, opem afferte; ligna, perticas, fustes accurite, succurrite; sine, inquam, ne me detentes.

Fron. Quin silvam aliquam apportari. aut malum iubes? Ausculta paucis: volo ego te scire, me virum et tibi affectum esse quam maximo.

Dit. Quam ob rem, quid in te obmisi utme detractes? ut male hoc mihi studeas misero.

Fron. Dico me tibi optimo affectum fore animo, non secus quam qui te ament.

Dit. Neminem habeo in quem tuto confidam. Novi ego recte et aetate, et usu, hominum mores captari amicitias, ut ex amicitia quasi ex fundo fructus vel excipiant vel expectent: verbisque emi operas, vendi praecibus. Non convenit te illi amicum fore in quem dolos fingas.

Fron. Vah! bone vir: ego, dum tua pro gratia liceat, volo tibi esse honori et commodo quamplurimo. Non licet enim timere omnia quae dubites; nec dubitare si qua saepius incidunt. Neque enim omnia quae persaepius fiunt, semper fiunt. Spondeo ego tibi hac destra fidem, diis testibus, et tua virtute, quam quidem velim nostrae amicitiae firmum et perpetuum fore vinculum.

Dit. Quis tu? nostin me?

Fron. Ditonus es amicorum amicus amicissimus. Ergo praebe operam, obsecro benivole, te paucis, ut alloquar.

Dit. Loquere.

Fron. Audivi semper amicos, et viros optimos qui moribus et ingenio polleant, simplici et aperta amicitia adeundos fore: aperto igitur loquar, eo quia te fidum et probum semper audiverim. Adulescens hanc tuam convicineam amat. Ea, ut opinor, haud egre id fert: neque enim invenustam, neque interraro se offert; caeterisque, in rebus, ut conjectura valeo, utitur amantium officio. Is eo quod plus nimio hanc amet, et quod plus satis honori inserviat suo. Vellet lares tuos sibi fore familiares, ut inde absque plebe, et fama oculos usque adeo depasceret suos. Hoc solum et hanc ob rem, ego illum, et sua, et omnem tibi dedo et dedico, ut tuo pro jure tibi morigeri simus: hanc facilem ob gratiam, amplam et promptam in amicitiam jus tibi praescripseris firmum, et perpetuum unde tibi et utilitatis et praesidii non minimum aquiras. Habemus etenim superum gratiam, nostroque ex labore, amicosque, benivolosque, tum familiaresque nonnullos, quos re prospera et adversa nobis optimos et uti deceat experti sumus: qui pro nobis, et pro qui nos ament, neque rebus, neque vitae,

parcant suae. Non erit ut inposterum eos illos foenerarios tibi inimicos quanti facias: res optime interdum satis dantur, interdnm adtroduntur, interdum demonstrantur ! Quae mostrantur nimio opere nimis accurate petimus: quae vero truduntur, omni quasi opere abnegamus. Erit, mihi crede, hoc tuum beneficium, viro non indigno et tibi amicissimo pergratum. Volo omnia aperte aloqui: is non civis est romanus, sed atheniensis, summa ex familia, cuius parentes Argos et Minerva. Accessit huc ut rerum plurimarum visu fieret doctior: neque adeo ut se indignum hisce parentibus se se dederet. Sed nescio quo fato cum hanc aspexit forte, in aede statoris admiratur, collaudat, respectat, consequitur, illico amare occepit.

Dit. Est ne is quem vidi et hac sub angiportu saepius inaperto capite candidatis paliis? An vidin tecum?

Fron. Ipsus.

Dit. Et bonae indolis mehercle!

Fron. Et macte virtutis.

Dit. Dii bene illis fasiunt ut cupio et tibi ut vobis volis! quam digni sitis eorum gratia, et meo obsequio.

Fron. Ah! bone vir, da manum hoc aedepol et non injuria, de te persuadebamus semper, ergo inpsi ad te veniat, tu ut virum agnoscas, rectius. Ipse tibi quod gratias agat ut habet tanto pro merito.

Dit. Velim illi majora, sic dicito, Ditonum et aedes suas, et siquid possum, pro snis ut habeat.

Fvon. Recte, optume, probe.

Dit. Sed est ne hora ut edamus: mecum eris in caena.

Fron. Semper sum tecum animo, et ero alias corpore, ut iupseris. Iam bene vale.

Dit. Vale.

SCENA III.

POTENTIO *servus*, FORTVNIVS *temerarius*.

Pot. Sic se habet res, ut videris non poterit secus, fieri quin meam incidas et facile in sententiam.

For. Est ne forma ?

Pot. Forma quidem et moribus, ut nihil addi, nihil optari amplius possit. Adeo ut aut formosiorem ! Aut simillimam Veneri dijudicem. Decorum caput, venusta facies, aspectus illaris, modestus incessus, habitudo, motus, omnia, ut et matronam et romanam civem convenit.

For. Nimis ex animo cupio hanc videre.

Pot. Faxim ad idque operam jam nunc paro.

For. Qiud ita ?

Pot. Quia has propinquas, ut vides, superbas aedes ea inhabitat.

For. Et qui potero? unde alloquar ?

Pot. Hoc scias volim, mature et adtemperate, omnia ut fias opus est. Praebe te ut videat virum, nec impudicum, nec immundum, nec lascivum primo, tum te ut cognoscat et gestus et mores tuos, teque primo cum lubens, tum expectato ut videat: demum loquere, enarra. Postrema haec munera ab hijs qui amant, ut dejudicantur, ita sit maxima, quae et si perminima forent non licet ab ignoto expetere. Curabimus igitur primo illam ut videas.

For. Tu hoc volim scias stat sententiam, nolo assiduo exarare hac porticus et obtundere oculis, et suspirio fores fenestrasque foraminaque et omnia omnemque convicineam. Nolo me imperio, nolo heritudini, nolo ad nutui mulierum subigere, nolo mihi animo id tantum miserie obfirmare, quod efficere plerosque video aut affectum me quicquam plusquam sim metipsi, mihi praeter viri officium est mulieribus et tam certatim affici, quibus tam diu fiamus in gratiam ! quam diu ? vel Bacco, aut voluptate et joco ad superfluum usque expletae sint vel dum vi munerum tandem extruditur ut interdum oculos in nos dimoveant suos : atque, perparce, peximum genus animantium !

Pot. Hoc totum quod dixti minus nihilo est; habeo unde tuto conspicias, et verba datatim comutes dum lubeat.

For. Hem ! forte id aliquid esset.

Pot. Habeo virum qui olim conservuus ut fuit, nunc amicus est optimus, a quo facilius quaeque et si grandia sint, impetrem. Is, viden, isthanc statuam ostiariam? aedes illas inhabitat: hominem conveniam: et dicam velle ex eius horto, aliquid dicam.

For. Et ego una tecum.

Pot. Minime. Volo enim te magni faciat, oretque, ut in gratiam se accipias tuam.

For. Lepidum caput ergo! ...

Pot. Ergo deambulato: ego ingrediar, jam cum fores patent.

For. Optume.

Pot. Heus! heus! et quis hic est? et quid fores patent? at domesticus sum, mihi semper patent: ingredior: salvete lares.

SCENA IV.

PHILODOXIOS *adulescens*, FRONTISIS.

Phil. Haec mihi commeatio pro triumpho est: hoc totum iter meum prae gaudio est. Non possum memetipsum continere: quidquid video iubeo salvere ac si velim omnia, hoc meo gaudio impartirier. Salvete, etsi mihi satis iniusti forte sitis, salvete lares optumi, quibus persaepe liceat divam et videre et audire hanc: salvete vos superi, tuque alme divum pater, gratias vobis habeo; et mi frater hoc tanto nuncium exultas gaudio? Tibi etiam ingentes gratias et utinam condignas exoptatasque pro tuo hoc tanto facinore referam. Dum poterim dixtim certum hoc est inde eam audire ut possim?

Fron. Dixi audias, videas, verba addicias qui loco et tempore liceat.

Phil. Proh deum! fortuna maximi te semper fecerim si semper.

Fron. Tace: obsecro.

Phil. Sic oportet animo morem ut suggeram sinam prae gaudio se se ut deffendat decursitetque paululum.

Fron. Tace, tace inquam: videre visus sum insolentem egredi, regredi, frequentarium nescio quem, ex amici aedibus.

Phil. Hen eccum hominem!

Fron. Huc accede post angulum aut columnam, ne nos videant: auscultabimus quid consiliorum congerant.

Phil. Hei mihi! quam male nostris rebus timeo.

Fron. Tace.

Phil. Hem! et Fortunium ab hinc dii! dii!

Fron. Tace.

SCENA V.

DITONYS, POTENTIO, FORTVNIVS, PHILODOXIOS, FRONTISIS.

Dit. Ubi ipsus est?

Pot. Iam nunc aderit. Sic vellem amicos mutuo inter se convenire, ut liberali animo et consulerent se sibi, et operas referent sicut nos ipsi inter nos facimus: non potuit rectius tibi dari consilium. Sed eccum ab hinc hominem: salve; oportune advenis.

For. Salvete.

Pot. Si scires quantum mihi cupiat se inter tibi familiares ut accipias, tuamque in benevolentiam ut costituas. Iusto illi amicus fores optumus.

For. Bene vos dii ament.

Dit. Enarravit omnia, sed si lubet dic, quaeso, qui vere fuere parentes tibi?

For. Thraso et Astadia.

Phil. Perii; ipsus est hic Fortunius, Thichiae filius est adoptivus; cui olim Ditonus fuit servus, inde jam ex ea domo volt mihi hoc praeripi comodi: perii.

Dit. Te dudum aspicio, nunc tua haec vox et memoria in mentem reducat te ut agnoscam! Bene salve:

an recolis cum solebam te in sinu et domo patris gestare ad nostram?

For. Centies.

Dit. Quam eras fraudicolus!... semper in barbam et capillos duriter coniiciebas manum.

Pot. Semper te dilexit: ut lepide applaudebat!...

For. Ha! ha! he!

Dit. Huc advertite animo: nunquam ego antea ex studio hanc conspexeram convicineam; nam me domi non nisi inter raro comperio, et sat negotiorum habeo quibus me exerceam; ita dii in proximum omnia vortant illis foenerariis qui tanta astutia fatigant me miserum in servitutem redigere. Verum nuper cum domum redissem commessatum, accessit quidam exorans hanc eamdem ob rem sibi ut paterent meae. Spondi operam, abiit amicum accersitum, cujus causa hoc impetravit gratiae.

Pot. Quis ille? an quisquam?

Dit. Atheniensis, cui parentes Argos et Minerva.

Fron. Vidi hominem.

Dit. Post interim accessi ad turrim, et parvum per foramen vidi eam in superiori triclinio fidibus concinentem versus de laudibus Herculis serio, et divum. Volo crimen, si crimen apud vos est, accusare meum totum me compressi interius uervos dixi.

Fron. Ha! ha! he!

Dit. Aedepol forma formosior Venere. Sed ad rem redeo, vos amo, sed neque velim firedirens.

Fron. Rectis habeo, caute id loqueris.

Pot. Tenemus ne illos qui nihil habent praeter vitam, quod abs cruce precario possident.

Phil. Dii te malo divitent! functus officio et profecto verba blactis, ut dignus es, et dignus esset cloacam aliquam tuis dictis res pensum ut dederet cui nihil proprium est, nisi lingua isthac tua foetida, pexuma quae in deterius in dies convalescit.

Fron. Tace: in aurem consilia conferant.

For. Non timeo illos.

Dit. Nostin?

Pot. Pulcre.

Phil. Quid dixti?

Fron. Dixit illos se velle opletos verbis, et spe usque adeo delibutos abiicere ab se.

Phil. Perii: nullus amplius sperandi locus nobis relictus. Tritum hoc proverbium est integra cum fide: tuta spes cohabitat, postquam fides disrupta est, spes intereat necesse est.

Fron. Et tritum hoc est, quia quod tritum nimis est haud saporem habet. Tace: bono fac sis animo: unum quodque iter suum habet exitum.

Phil. Hei mihi!

Fron. Tace: habeo argutam astutiam ha! ha! he! Oh dii, quid paro!...

Phil. Quid agis, quid ineptis, cur te deturpas tam immunde luto? Dii testes, insanis?

Fron. Hem! nunc et capitium...

Phil. Vah! insane cur advolvis id cruri?

Fron. Ut taceas et videas, et it precor quod si videris licere domum ingredi.

Phil. Quo is?

SCENA VI.

FRONTISIS, POTENTIO, FORTVNIVS, DITONVS, PHILODOXIOS.

Fron. Hei mihi! hei! ym!... m...

Pot. Quis lacrimatur.

For. Quid clamas? chir Priape!...

Fron. Sic opem expectabam ut dares.

For. Ebrius debachatus est; non se substinet.

Fron. O celum, o sol, o luna, ó aer, o ignis!... Opem! hei! hei! ym!...m!...

Dit. Surge ne lacrima.

Pot. Quid habes.

Fron. Habeo animam inter dentes et labia! Ah!... ham!...

Dit. Loquere: quid hoc est?

Fron. Scies nunc: querebam Philodoxum... dum appropinquo, hei doleo totum prae ictu.

Phil. Quid nunc animo fabricat suo! me hic reliquit tanto infortunio magis spectator ut sim.

Pot. Quis te percussit.

Fron. Dicam at insero legati ex Affrica bene re gesta cum pompa; nunc cum transirent, seduxi me ut viderem spectaculum. Invisum innauditum, incognitum immeditatum triumphum; diceres triumphissimatu, tibicines, citaristae curricula aurata, sturcones bubones, equi rotati candidi, maximi leones, panterae, scimie, aquilae, monstra. Res mirae et innumerabiles quae videre longe opere praetium est interea accessit putus qui caballum effrenum, magnum sedet; huc concutit calcibus. Nescio rem ut duxerit, hoc exinde aporto novi, crus mihi semifractum esse.

For. Qui Legati?

Fron. Peximi....

Pot. Ex Affrica?...

For. Et sunt panterae!

Fron. Utinam sic illis foret perpetuum cordolium.

For. Panterae? proh dii! quam velim vidisse....

Fron. Nolim istbac lege si te amo: verum si presto ieris etiam videas. Mihi tam care cordi est ea vidisse, quam constitit ibi adfuisse.

Pot. Quo me trahis? quo properas he?

For. Eo dum panteras, equos, tibicines, pueros, panteras: eo dum...

Pot. Majori etiam in re libere animo satis obsequar tuo. I; persequar.

For. Quo nobis iter tenendum est?

Fron. Rectate, ac recta illac ito versus forum: nostin aerem vocibus et tumultum obplenum rectis audias.

For. Sequere pantheras.

Dit. Hercle! graviter afficior tuo hic.

Fron. Ah! ah! oh! durius pertractas: nimis perii.

For. Credin posse me liberari unquam ut rectus eam.

Dit. Bono sis animo: est hinc in trastrina Climarcus medicus et bobum et quadrupedum omnium et hominum etiam suo pro officio singularis.

Fron. Tibi amicus?

Dit. Magis.

Fron. Quid stas? tibi dicon?...

Phil. Ne vocas?

Fron. Plane; an cui?

Dit. Cui dicis.

Fron. Ingredere.

Dit. Dixtin mihi?

Fron. Tibi: cur non is ad medicum? intro: hei miser!

Dit. Quid intro?

Fron. Hem introducas eum, illum cum sarcinulis et unguento.

Dit. Quis introivit domum?

Fron. Te precor hominem accersito.

Dit. Quis introivit hasce aedes?

Fron. Quid introivit? certum boves? nostin ne cornibus?...

Dit. Hercle! introivit; senso dum attigit ostium.

Fron. Bone vir falsas, es ventus, ventus. Abi; etenim quid stas? Hei insensate hei!

Dit. Qui cum adloqueris mirum ne aliquis sit. Quis tu? heus si fustem sumpsero! hys! heus! te video.

Fron. Et nullus est tibi dico proh deum! et non te miseret mei! vides quam afficiar dolore, quam cogar te ut sollicitem. Abi precor.

Dit. Eo at credideram.

Fron. Audi, prebe fustem.

Dit. Quamobrem ? sede, sede.

Fron. Diis gratias non credebam posse admeare : non ero tam miser quam ob dolorem persuaserum, duc me dum calet vulnus: nollim solum me hic.

SCENA VII.

Philodoxios, Doxia, Phimia.

Phil. Non sine magno ingenio perfidia et animo fit magnum facinus. Mirabar quid ineptiarum ageret Frontisis cum deformarit luto et gestu se ipsum. Dii perpetuum hoc mihi faxint commodi ! Dii se condent paria ! Proh Dii ! quam e sententia res evenit ! Introivi domum ; ausculto, tento, adgredior, contemplor, revertor : interea visus audire sum vocem uti erat Doxiae. Obsecro operam dum adloquar. Negat se eo in loco solitario abscondito id velle : et si quid malim, jubet suas ad fores ut veniam, ibi se adfuturam. Sed quid dicam miser? nescio unde exordium inceptem.... Hei miser! At quid si dixerim amo, àrdeo, morior, tu id vides, tu nosti, tu cur hoc velis nescio, ubi petas, ubi misericordia, ubi clementia, ubi animus ipse insignis huic tuae pulcritudini condignus ? Vel dixerim : si umquam mihi. At, at eccum eam, si rectis audio! hei mihi! quam totus discrutior animis prae gaudio, prae cura, prae metu.

Dox. Adsis, mi soror, dum alloquor, adsis precor : nolim hunc qui in me honesto affectus sit mea causa periclitarier. Volo illi hoc parva exigua in re morigera esse. Ergo ad me : sed eccum adest : profecto ut video vel magis amat quam hactenus usque persuaserim. Philodoxe, Dii te ament; adcede ad nos propius.

Phil. Et Dii faxint me ut ames, ita ut condignum est, qui te plus se velit, homini optumo perflui : Dii faxint me ut ames! si id liberali officio, honestoque animo opto oppetoque.

Dox. Dii bene servent me honori meo! ut cupio, et studui semper. Cedo quid est qui me velis? loquere.

Phil. Nosti quod te jam diu amarim, sed forte non ut se res habet, ita apud te notum est quam sollicito et quam firmo animo tibi affectus semper fuerim; nam ut recte id videre potuisti, nimis honori inserviebam tuo; et, ni fallor, eam ob rem forte persaepe hoc tam grate abs te commeritus sum, verba scilicet mihi misero amanti dono ut dederes, quibus vitam hanc quae omnes intersuspiries et lacrimas diffusa esset, reficeres, et fugitivum cor quod quidem cura adustum, sit vitae restitueres: quae quidem omnia, jam olim tuam indictionem concesserunt. Haec enim, cum non licuerit, tum non libuerit facere, non est quod percuncter. Verum ut gratias agas tanto pro hoc beneficio, tantoque tuo pro merito, abs te ut exorem, dum pro mea honestissima affectione in te aliquid umquam debeat, ut hujus tui misereat vitae. Et postquam meo fato sic institutum est, tuus ut sim, malim me vivum, cum forte emolumento quantulum vobis esse possim, quam interemptum tua ut ita dixerim crudelitate: quod quidem, neque audi, neque in partem commodorum tibi esse possit.

Dox. Quod me ames et vidi et cognosco; idque accipio animo neque ingrato: neque, dum hoc judico, prae nunc male quidquam cordi tuo e nobis advenire potuisse.

Phil. Hoc fateor, et inde quam plurimum laudis et meriti merito commeritae estis; et nolim haec dixisse, si dixi tibi aegre sit. Sed si licet pro tua liberalitate abs te ut exorem, hoc precor, videndi te, ut saepius commodum sit et potestas.

Phim. Nescio ego quo pacto hoc vobis innatum sit amantibus, ut numquam sat sit, quod nimis sit.

Phil. Neque oppeto id nimis, neque et id satis vestro sine commodo volim: neque dum rem factu difficilem, et si mihi amplam et gratissimam, e vobis petii: neque amplius quidquam dari opto, nisi ut meam hanc voluntatem et consuetionem, neque duro, neque gravi feratis

animo. Sinite deambulem; sinite ut videam: hoc mihi ad voluptatem, hoc mihi ad vitam est, hoc mihi fore animi volui vobis dicier.

Phim. Dixi pulcre, sed ageres nobis gratam te isthinc si abduceres.

Phil. Quamobrem?

Phim. Quia honori nostro conduceret.

Phil. Siquidem juxeris egero; nam et tu recte id nosti, quia honori satis semper dedi vestro, idque ex animo et studio.

Phim. Ergo abi, nam video quempiam: inde ad vos.

Phil. Vale, et tu mi vale, meque memoriae commendatum habe.

SCENA VIII.

Philodoxios.

Equidem non inexperte hoc ipsum dici solet, cum primum qui se ament, ad loquendum coheunt, quia conmutuent animas, dediscant loqui. Equidem re id nunc expertus sum. Nam cum primum quidquam verborum volui exprimere, tum prius, si quid aderat animae, prosiluit inter ejus sinum, adeo ut et mei, et verborum peue oblitus fuerim. Miser! debueram verba optima, verba precaria, verba commendatoria, non quae rixam et hodium. Sed qui prorsus benivolentiam et amorem excitarent nutrirentque. Sic debueram ut solet aliis, amor voluptas esse, mihi, non quod amo, nam nimis ardeo; sed quod te amo, et voluptas et felicitas est: nam venusta es, et bella es, lepida lepidula et virtute insignita, et coeteris in rebus singularis. Sed quia me in tanta aegritudine, ob amorem, constitutum video, ut meae interdum miserae miseraet vitae, volui hoc e vobis gratiae exorasse. Nam et nox et dies suum perverse in me officium peragunt. Semper quidem meos inter oculos, semper animi, semper insita in me es. Multa mea causa velim, multo plura nolim, tuae ne male

officiam honestati: non sum meus, tuus sum, Doxia, tam totusque grandis sum et tuus volo esse, meque ut recipias precor, velimque et me invito hoc velim tibi fore pro statua lucernaria, dum insero, stas: natura naturaliter bellula absque lege et fictione in paliis et in crinibus; tandem ut tibi essem aut comodo aut voluptati mihique dum te vel viderem vel audirem essem vitaę maee vinculum. O Dii! aut essem cithara, quia dum me pertractares, prorumperem in voces amenas, canoras, suaves, quod armoniam saltim arrideres, interdum saltim contingeres. Proh Deum quam essem felix! Sed quid desino amplius ineptus esse? Quid si isti me audissent? et prope sunt et profecto forte audierunt, et viderunt omnia Nimis incautus sum. Vero quid nunc rerum agendum est, abnegandum ocium est. Volo meum omnibus pospositis rebus fabricatorem fraudum convenire, et enarrabo omnia ut re, consilio et opere omni, omnia conficiat. Sed quid hii mussant? volo hinc furtim auscultare.

SCENA IX.

DITONVS, POTENTIO.

Dit. Ego sic censeo, pro hac provincia, te dignum fore legatum. Nam eius mores longam ob consuetudinem tibi explano patere ut si quid incusaverint, recusarintve, confutuas omnia.

Pot. Ego secus censeo, hanc tibi provinciam jure delegatam fore, cum et facundia amplius valeas, et quia convicinus sis, tutius id possis.

Dit. Censen?...

Pot. Censeo.

Dit. Stat sententia?...

Pot. Stat.

Dit. Bone Dii faveant!... et quid exordiar?....

Pot. Proh! fabulas et muliebria, aut de ansere, aut de gallo quaere; aut pro cucurbitis semen exquire; vel siquid tale.

Dit. Scin quid meditabar, priusquam verba proferrem quidquam obsonarier: nam digniora et multo pinguiora se efferant; et si nescias, plus centies hanc hodiernam interrupi coenam; non possum mei compos esse, cum jejunus sum.

Pot. In amicorum causa multa solent, qui amant, perpeti et permittere, quae sua in re non fierent.

Dit. Vacua loqueris; ego me ipse mihi notus sum, hoc scito graviter alloquar. Quid peximus quam jeiune et incomposito, sic, ventre loqui?

Pot. Bene, pulcre, probe. Sed, quod nunc temporis quasi superest optumi, convenit non vacuum nostro condigno opere praelaxarier. Ego post te adero: quod si quid deleres, quasi qui ad clavum sedeam, corrigam.

Dit. Sequere: at paululum vini.

Pot. Ut lubet. I: sequor.

SCENA X.

PHILODOXIOS, FRONTISIS.

Phil. Servitus nulla libera est, et nulla libertas misera! Hoc proinde est, quod dicunt fidem Divam esse, et liberam quia infervo, ne vera venit ulla fides. Sed non ne sum vere bardus, vere plumbeus, qui hoc viderim cogitatim et prescierim diu hosce res omnes meas, quasi ad ruinam, seducere in proclivi; neque quidquam opposuisse subtenaculi: oportuit sic dicier. Cum adloquerer hoc fore fallaces, peximos, infames servos, persuadere ne quid audiant, ne quid credant, ne quid responsi dedant. Hec opportuit dicier; nam norant recte nimis ut amarem, pre me id ferebam. Hei miser! numquam potuit hoc in mentem incidere, ut opportune, et attemperate eas certiore redderem.

Fron. Hei! bone vir delegatis quam bene se res habent?

Phil. Hem in medio.

Fron. Quin vel optume.

Phil. Quia supervenerunt, et legati et debachati male, ut agerent rem meam.

Fron. Qui ?

Phil. Venerunt Ditonus et Potentio, interruperunt omnia! struxerunt in me, et divam fidem! multa pexima et contraria mala. Dum accederent seduxi me me: hii sic discrepant inter se, quin tu exto, quin facundus, quin tu, quin convicinus, muliebria, oportet pro exordio, et reliqua. Ego sic facio coniecturam elluonem illum Fortunium Trasim rivalem meum quem si vivo, quem opperiam.

Fron. Recte ausculta paucis condicam rem, ut res est. Eram apud Climarcum medicum, tum interim reducem se obfert Fortunius, minatur quod lusos se fecerim: advocat Ditonum, tractant consilia, statuunt sic verbis meis dicito, ut dixi, et hoc dicito, audi rectim habetis. Nihil amplius ex eorum dictis potui excirpere illico, suspectare incipio oculis non minus et animo, abeunt, venio.

Phil. Ergo quid hic censes?

Fron. Censeo? sic censeo quia censent, nos censere, quod male censeant.

SCENA XI.

FORTUNIUS, PHILODOXIOS, FRONTISIS.

For. Profecto in hominum vita nihil adprime magis a diis optumum video, ut quam nobis sic succedant bona, tuta ut si quid velis, a te ipso exquiras. Bene me omnes dii ament, cum mea me mater amat: sum deus cum nihil desit, habeo omnia cum diis communia praeter vitam. Habeo voluptatem et voluntatem ut lubet; sum et etate ad vires apta, et venusta bellitudine, inter primos non postremus. Suppeditant pecunia, benevolentiae, honores et omnia, omnia. Suntve quam plurimi qui me efferunt laudibus, qui-

bus et bene possim facere, quive semper student, quam multa meam in utilitatem et voluptatem accumulare. Siquidem perpetua vita sit, Apollo sim: non scleram, non videram, non querebam hac in convicinea quicquam. Nunc id totum quod insigne est ultro offerunt, rogant, ut et benefitium hoc suum, quod quidem haud minimum quam multis forent, dono rogant ut accipiam: volo illis morem gerere. Adibo et quam pulcre eam recipiam Doxiam. Cum primum ingrediar domum iuxero: afferte subsedium; cum accesserit tandem et paululum assurgam. Si vales, et me amas, bone est, dixero: tractabo, amplectar morsibus concta insignibo, omnem liguriam totam, sic velim omnes efficere amantes, hec fere munera quae in amoris pignus dederunt, quae se illos in memoriam persaepius reducerent.

Fron. O ineptixime! quam insanis capite! quem blactes: scin quid volim? hunc fore illi cloacam, ut interdum illius nates, labiis adtractarer, et interdum diglutirer quicquam.

Phil. Ha!... ha!... he!... ia...

For. Quis hic arridet? hercle sum vobis an ludus? bene vertam in luctum si caepero.

Phil. Favere, et bona verba quaeso.

For. Et quid hic stas?

Phil. Quesieram hunc; hic non ambulat.

For. Quis et tu hic es furcifer; facite ne vos in postremum hic amplias videam.

Fron. Romae edicta hec sunt. At faciam si obcluseris oculos, hoc pugno at effodiam, efficiam planule; nihil doleas; sine hoc solo digito, quia peracutus unguis est et quam accomodate hoc venit, sine.

For. Et hoc ad ludos etiam adminiculo datis? quod si me irritaveris furcifer....

Fron. Irritaro caprum, ebrium, dementem; hoc fecero.

For. Quod si me irritaris, faciam ut tuum illud hoc crus putridum et contusum in gremium recipias ut ad-

versiles, et advoles ad Tibrim, magis etiam secus si iuraveris lotum et nectum una, qui fecem sudas cunis barbare.

Fron. Et quidem hoc viro me nunquam facies ut curam ni te sequar, et ob praetium dabis ingentes penas ad fessitudinem usque et videbor, non claudus cum voluero, et non sine maximo tuo malo.

For. Proh Jupiter! cur non me insolitam iram prevehas? Et quidem non eris potis Jupiter quin hodie hunc mactem.

Fron. O, a, morare illuc venero ad solem, ne hic in umbra incaute mihi oculum offodias misero. Valde sum amicus hisce oculis quibus te videro flagrionem in pristinum deditum morare.

For. Sum liber et nimis liberalis: non convenit verba ut accipias mea: habeo grandius aliquid agere.

Fron. Recte scio; habes piram struere centicubitem. Vin auxilium? Vale, vale.

For. Quis hic est? Ditone, Potentio, ubi sunt hi? consedusti, bibone. Sed nullus furcifer est heus: o!...

SCENA XII.

MNIMIA, FRONTISIS, PHILODOXIOS, ALITIA.

Mni. Pol quidem haud sum eo dimidie media: quo reliqui est ut liceat loqui. Obivit longe fugam animus prae timore! Dii immortales! qui omnia vident, id frustrum animae quod habest, ad me restituant, si viderint me hercle vel magis huius virginis, quam meam ob causam id dico, ne perdita me solam se advehat domum. Dii immortales! quae nunquam audivi, hoc vidi nunquam magis. Alioquin me hercle mire hec factio miranda est. Dii! hoc crediderim! hoc quempiam amare quod minime viderit; aut ea in re affectum esse quam potissimum nesciat?

Fron. Quid turbida es? quid est?

Mni. Est scelus scelestissimum adhuc, et ante oculos; et vos estis, qui vos indignos humanitate tanto in facinore habuistis.

Fron. At qui?

Mni. Ut audistis tantos tumultos domesticos? Ut noluistis operam adferre? ut stetistis spectatores?

Phil. Hem tumultus! quid id?

Mni. Venit Fortunius, voluit, rapit, introivit, noluit, fecit, abiit. Nescio ego quid dicam: non sum mei recte compos, neque valeo loqui. Dic tu mi virgo: narra: ut gesta hec sunt quae rectis videris omnia pexuma.

Alit. Eramus in horto; venit Ditonus, propius salvere nos omnes iubet: reddimus vices: premictit se habere rem facetam auditu dignam quam exponeret iocandi causa. Dum volimus audire, pollicemur operas: tandem haec narrat: « Fui nunc una cum istoc in foro penes Fortunium; ibi forte aderat gnato, cum primum nos respectat, adiungit se in pedes, adcurrit ad nos, maximes vos honore dignos plus maximo salvere iubeo; quid statis tristes? soleo semper cum vos video animo, fronteve liberali et ampla me melipsum letitia immensum afficere. Ni curiosi alibi sitis, dixero, vobis rem miram, in qua nunc animum dederam, me hercle advortite huc animum, incredibile hoc vobis videri sciam, ut queque vostrum pluris faciam, pluris diligam quam ego me ipsum. Sic res est, et enim non mirum tam improntu est per plana. Ad unguem usque scitis, quia vobis semper sum lepidus et morigerus ideo me in amorem delegistis semper, ergo non possitis non facere quin vos amem. Ego vero me haud amo, non sum meus, nihil habeo mei quod meum sit, nihil; nam scapulas, nates pariter, et genas omnis et me omnem questui; adeo ad cenam, et locavi eas pretio vapulando; hec sit causa nunc re ad id periculum faciam. Nos ambo eramus in sole; stabat una gnato nobiscum; erunt hominum umbre prostitute ad terram ut solet. Tum gnato: Ditone hec tua est umbra; advorte, tua est; hanc

medins fidius adprehendam, quo vis in loco, ut amica est, nusquam abfugiet, et viden quia habeo manus iam in capillos? Quid dixeris eam si fecero nusquam se ut dimoveat et ponam et in caput pedes? Hoc vidistis; nunc et meam conspicito, quia me odio abet, discedet; neque me sibi adiongi volt Nunquam possim eam intercipere et toto oppido si recursitem, non hercle at mirum est. Fortunius noster vir quidem optumus ut facetus, tanta inter hominum frequentia quibus ad spectaculum hoc stipatus erat; cum homine stipulatur cenam pinguem et lautam, si ut se teneat fecerit! stat pignus stant testes arbitri et concenaturi. Jubet ergo aures ut capiat suas, nunc ito quo lubet semper eam contineas. Is aspicit et ingenti prae letitia totum discursitat forum, omnis arrident, omnis ingenium collaudant viri admirantur, ferunt sententiam deberi gnatonem in caenam: Fortunius vir quidem, ut facetus, neque minus liberalior, ultro remittit omnem cenam, iubetque acersiri una; et colligatos, et spernatores cuntos, et gnatonem ipsum ad cenam in crastinum, qua in cena, ero aut censor triclinii, aut praeses popinae aut in irneis imperator. Tum nos precumptari, quis iste. Fortunius his narrat altos parentes, profundas divitias, ingentes clientelas, multa immensa et magna, grandia, bellitudinem hominis, probitatem, mores, ingenium usque nihil desit, nisi consimilis coniux, et quia nos omnis si vicinas, sic et benivolas amet, quod quidem esset in partem necessitudinis, sua pro virili id cupere, eum hunc nubere in Doxiam, idque volle, et daturum operam, simul ut colloquantur et facturum. Nam sciret optume coniecturas quippe cum inter se mutuo ament, et voluntates, et sententias. Negat tam sequicquam Fortunii, ex verbis dicere, quia imo illum huius rei fore inscium. Sed quia quasi id res exigat dixisse, et nos sic sumus matronae, sumus Romae, sumus romanae quorum sit sanctae divum ymeneum sequi. At his hercle volo fiat, fiet; nos; vale, consulto opus est et abimus in domum paulo post, interim ingrediuntur omnes, strepunt confringunt fores, conscendunt; nos disgregamur omnes, ego qua

parva stabam intacta, omnia videbam, queritant Doxiam ea adscenderat fastigium domus. Postremo invenerunt Fimiam unicam eius sororem, eam asportarunt secum: Dixi.

Phil. Vos cetere valetis.

Mni. Valemus ni hec de Fimia egre sient.

Phil. Proh dii que hominum petulantia! qui furor quae lascivies! que iniuria!... Vellem aliqua in re huic fore pro meritis ut meretis.

Mni. Dii vostram fidem hec acta sunt; ut videtis, nos eamus ut hac de re certiorem reddamus patrem; suis in edibus hoc fore.

Phil. Bene Frontisis comitare has; ego accedam ad forum, ut hominem si viderim domum adducam.

SCENA XIII.

Mnimia, Frontisis.

Mni. Hei mihi! sic datur fatis, sic recipi par est. Dii sic mandant. Sic nos et velle opus est.

Fron. Quid stas? cur non imas domum?

Mni. Hei verso quam multa meam inter memoriam; quae partim nolim partim malim et optem.

Fron. Et hominum condictio hec velle et nolle, hoc velle et hoc nolle suapte in tempore prope sapientum est: nolle quae vel oporteant, aut velle que possis, minime eorum est, qui sibi solis et credant et capiant. Olent scelesti semper suo scelere, seque palam scelus trahit, parem ut parturiat penam, non inulto hoc ierit.

Mni. Non diffido sic futurum ut autumas sed amplius meam incuso dementiam. Una et viri mei, a quo iam fere annis, habui disidiam Athenis quia denegavi illi anulos aureos signatos partos suo labore, quos apud me posuerat servandi causa: feci ut solent fore omnes: ut sumus inepte mulieres! praesertim si valeant forma. Volui praecibus et

blanditie id exposceeret, postridie abiit. Nunc nomen hoc tuum, eum illum in memoria reponit mihi: qui cum, ni haec fecissem degerem vitam non vulgarem, opulentamve, neque observarem, ut in dies facio.

Fron. Quid elegisti vitae tibi ad exercitum hac in urbe?

Mni. Ego semper totis viribus ut qui vi honestam consectavi, et vitam et gentem audieram huc Romam meum accessisse vinem; veni ut comperirem, et nusquam illum. Cessi domum huius patris Alitie: huic Chronos nomen est; censor et praeses excubiarum; hanc habet filiam quam ample diligat; eam commendavit meae fidei et regendam et observandam, accepi, amoque illam ut filiam: haec quidem matrone huius et indole et ingenio familiarissime delectantur: contraxeruntque mea opera inter se quam necessariam amicitiam: sunt persepius; stant una, conferunt, condicunt inter se consilia, postremo omni de re certiorem me reddunt, nimis concedunt, nimis obsequuntur mihi.

Fron. Dic sodes: quid tibi nominis?

Mni. Mnimia.

Fron. Voluisti potius anulos perdere, quam viro reddere.

Mni. Neque negabam redditum, neque dum perdidi. Sed ita ut fit mulierum more, subinsanibam.

Fron. Demum admisisti anulos et virum.

Mni. Si mihi, sic foret vir ut sunt anuli, pluris teneram anulos quam instituerim. Satis illum expectari. Satis sum functa meo officio. Forte illos huic virgini dono dedero cum satis longe iero in moram.

Fron. Et habes anulos?

Mni. Habeo, teneo, servoque illos.

Fron. Tu si virum videris tuum, noris?

Mni. Quam ob rem tu id dicis.

Fron. Ut comperiam illum tibi, quia te satis amo ut digna es.

Mni. Ah! mi vir nunc te nunc primum cognovi: cum in aciem intendi visum, et quam es non similis solito? quam deformis! quam cognitu difficilis.

Fron. Sic fit quando commutent mores neque mimes tu omni re et durior et difficilior mihi videri solita es, quam nunc videare facilis.

Mni. Bone gaudeo, ut optume est nos nobis compertos esse! Date mihi ut amplectar.

Fron. Renube.

Mni. Cupio.

Fron. Bene est.

Mni. Bene iam fiet sacrificium diis tanto pro debito, mi vir valustim?

Fron. Satis.

Mni. Et quid tibi cum illo hoc adolescentulo?

Fron. Optima et aperta benevolentia, ampla et continua familiaritas, firma et simplex amicitia.

Mni. Et quia hic habetis?

Fron. Dicam: is amat Doxiam hanc tuam assiduo quam ut desiderat ita ego malim illi fore coniugem; et laudo coniugium equa quorumcumque ut contineam sortem precorque eius voluntate meis verbis cum vales coniunctione cum his, tum nitare animo et omni opera tua sollicitudini, hoc coniugii ut fiat.

Mni. Mi vir salve: gero tibi morem ut vides ibimus ambo, hec virgo et hec ego: curabimus rectius omina et ut opinor possum bonam tibi expectationem polliceri; conabimur persuasione et precibus rem ducem ut velitis. Mi vir vale.

SCENA XIV.

FRONTISIS, CHRONOS, PHILODOXIOS.

Fron. Proh Dii immortales! quantum habet virium dissuetudo; quam est efficax ad scindundas omnis etsi firmas amicitias. Equidem sic existimo fieri, si posset quempiam secum aliquod temporum, ut neque colloquium neque ulla in re consuefactionem habeat effici, ut se se, aut breve, aut nihil diligat.

Chr. Audivi, auscultavi, habeo omnia; meae nunc erunt partis facere quid in re agendum visero.

Phil. Preterea timeo filiae tuae fortassis non bene, quippe cum ea domi nec dum sit, quam intereundum cum Frontisi liquerim.

Fron. Quos me audio? hem! eccum nostros.

Chr. Age dum; quid vis fieri.

Phil. Nihil nisi citus ut advenias dum id queat.

Chr. Forte credideris quia grave scellus sim depomptave, minime quam valeam cursu. Adcurrerem et precurro, cum lubet, nunc sic eo nimis expectato, hoc ab me affectas opere. Viden: iam adtigimus edes, et prope iam erimus.

Fron. Volo advolare ad illos, ut hominem honustum faciam, meo partim et suo gaudio; nam scio coniugem ut valeat dicendo et apud hunc senem gratia et facilitate, hoc scio quia conficiet rem ex sententia, advolo.

Phil. Ni mirum deterius hoc integrascit: dic, dic narra; quid portas nunptii? quid?

Fron. Omnia que nosti mala et grandia quedam bona, quae scies et admirabere et contectabimur.

Phil. Conieceram me in pedes, cum primum videram te accurrentem, quia timide timebam pexime.

Fron. Ubi offendisti tum extemplo patre huic virginis.

Phil. Advectabat se domum mehercle: nunquam vidi hominem tardiorem.

Fron. Confectus etate iam est et annorum plenus.

Phil. Quin imo iuniore se velociter et cursu validum et tam se dimovet quam si habeat calculos omnis ad unum usque dinumerare.

Fron. Veniet, veniet.

Phil. Et quid hoc est boni? narra me ut impertias tua letitia.

Fron. Sciu tecum quam sepius explorarim, tum fortunas, tum ineptias meas qui ab uxore fecerim divortium et quam dictitabam si adesset nostim.

Phil. Bone.

Fron. Eam comperi.

Phil. Hem ubi ea est? valet?

Fron. Valet, estque permostratrix eius virginis Alitiae; est assidua illis in aedibus familiarixima, tractavi rem ut debui, eo, introivi ut fierint quae iussi omnia, bono sis animo, letare, nunc volo hunc conveniamus senem: post quam adsit salve.

Chr. Quis tu? hem! salve, adsuistin his rebus, cum forent?

Fron. Novi omnia.

Chr. Vera hec sunt ut audio?

Fron. Quidem.

Chr. Et de filia satis res valet?

Fron. Non male.

Chr. Et quis hic actis causam dederit?

Fron. Nescio preter hoc aliud quicquam. Sed opinior, et forte non vane, hunc Ditonum fuisse hac in causa primarium magistrum.

Chr. Jubeo tu illum ad nos citato et meis dictis abi. Tu iube dispesci eas omnis mulieres huc in pubblicum quia velim librare omnia, et scire rem ut fuerit: ite presto; haec ut fiant volo: non possum diutius asistere.

SCENA XV.

THICHIA, FRONTISIS, CHRONOS.

Thic. Me miseram! eccum senem ante edes: iam non ero potis quicquam ut institueram: vortundum consilium est ob id hominem adibo cum percunter, quid in nos animi paret; tum ut sedem, si quid irarum insurgat advorsum. Neque enim habeo causam omnino iniquam, neque inusitata sunt hec; neque sunt indigna adulescentulo. Non enim ea sunt graviter habenda quae etas omnis suo

quasi iure exigat et exposcit omni in etate multa ut sua, pretermittenda, multa tolleranda sunt. Sed hac in re si quid est quos doleam id solum est, quos me inconsulta hoc fecerit quod hercle non me in vita fecisset facinus. Volo enim animi viribus et audacia, ut vehementer valeat et quos delecto quosve admicto; hoc volo, sed volo hominem convenire. Salvus sis Chronos: quid operis hic est tibi.

Chr. Quasi adnescias aut preter voluntatem tuam hoc incinderit mali sceleris; sic opportuit in civem liberam?

Thic. Scilicet paucis.

Chr. Loquere.

Thic. Scio que gesta hic sunt: hoc fateor quod quidem si me conscia fuissent etiam id dicerem: nam in illa ex parte se dederent, ut verrer quicquam. Sed enim libera est, libere et liberum sibi delegit virum, quem volt, quem teneat sub equo et bono est; dixi.

Chr. Pexima es, femina es; ergo tam liberas opportuit fieri nuptias scelestixima confrigere, turbare absportare viribus et vi sic nuptam, volo hominem adcersi iubeas illico.

Thic. Fecero si iuxeris.

Chr. Jubeo.

Thic. Eo dum bone vir, nosti filium?

Fron. Saepius.

Thic. Noveris edes meas.

Chr. Tutius si mostraveris.

Thic. Recte adibe animum, hac recta; ad pubblicanos, tum vorte, ad levam usque ad pistrinum; demum conscende ad pistrinum; ibi ad dextram videas Umbonem ante edes appensum, ubi de more hec inscripta sunt rubeis licteris NISI: iam forte ille meae sunt edes, advocato gnatum: intellesti?

Fron. Non auscultavi neque unquam comperiem; iube ex his tuis unum.

Thic. Dii te perdant!

SCENA XVI.

MNIMIA, CHRONOS, THICHIA, ALITIA, DOXIA.

Mni. Salve mi, salve Chronos.

Chr. Ubi est gnata?

Mni. Intus: iam nunc aderit.

Chr. Satin sane res sunt?

Mni. Satis: adite huc ad nos, Chronos hic est.

Alit. Salve mi pater.

Chr. Acta hec sunt ut dicunt? abructe fores, vi pressum et deportatum.

Alit. Acta mi pater.

Chr. Proh Jupiter nunquid, nam edixi illum adcersi iuberes scelestiximum? fecero hodie meritas penas fenore ut luat, iube illum iube extimplo.

Mni. Quem vis adcersi.

Chr. Illum eum scelestissimum hominem.

Thic. Mea tu hoc precor hominem exoremus hoc gratiae; Chronos ni viderem haec quae paras omnia huc tendere, ut is quibus illata videtur iniuria par fiat non esset quin dubitarem tuam in gnatum sententiam. Verum cum et ipse cognoscas et a iuvene et ab eo qui grandiori amore affectus sit, et in quem perfacile patiatur hec acta fieri, censeo non abs tua iustitia alienum si partim pietati in vos, partim et humanitati tuae concedas, sine te ut exorem, face in te coniecturam, finge in filiam sinistri quicquam, comprehendes quam perverse in te omnia redundent mala.

Mni. Mi Chronos! ah! redde te dignum solita et mansueta humanitate tua! sine te ut exoret.

Chr. Quid est, que velitis fieri.

Thic. Velim mihi matri hoc ut fiat gratie, quam si feceris, feceris rem equam, pariter, et hiis omnibus gratam.

Mni. Mi Chronos sponde, obsecro.

Chr. Loquere.

Thic. Volo illam filio fore coniugem.

Chr. Dum ea id volit et eius quam hic est soror.

Thic. Ea expectato hec volt, et eius soror hec volt, hercle volt; volt quidem rem bonam, mi bella, mi lepida, hoc vis scio, dic velle: volt Mnimia.

Mni. Et fiat.

Chr. Vin fieri.

Dox. Dum in rem nostram conducat, vel id vollis.

Chr. Ergo nubat.

Thic. Dii te ament! Dii perpetuum te servent! ibo domum ut filium in nuptias traham.

Chr. Bene quid ergo restat? volo remeare ad forum.

SCENA XVII.

Philodoxios, Frontisis, Mnimia, Cronos, Doxia.

Phil. Frontisis, si ob meam in te singularem observantiam conmeritus unquam sum a te ut possim quicquam nunc precor id omne, non quod debes, sed quod possis in amicissimi causa, ut semper soles, exibeas; ego me ipsum, me me omnem tuae dedico tuae reliquo fidei.

Fron. Vah quia ....

Thic. Non, imo quia nimis capio, nimis ardeo.

Mni. Mi vir bono sis animo; duxi omnia et tracto ut vis et debeo.

Chr. Quid colloquimini tunc seducte?

Mni. Hunc meum novo repertam virum alloquor.

Chr. Is ille tuus est?

Mni. Meus ipsus.

Chr. Gaudeo: et quid est quod tractas? si quid valeo dicito.

Mni. Optume dicam: hic adolescens atheniensis; est novi parentes eius, viros probes et primarios in nostra in civitate. Is vellet mea et tua opera hanc Doxiam novam

sibi nuptam fieri. Ea, si valeo coniectura, non omnino id recusat. Credo, si eam advoces nostra persuasione perfici, ut huius expectationi et desiderio satisfiat.

Chr. Ergo quin advocas?

Mni. Mi Doxia, huc ad nos, anime mi... Scin quid inter nos confabellarimus? laudavimus de sorore coniugium, et admirabamur prudentiam et humaniximam facilitatem tuam, pro eo qui apud te his in rebus que optume sint non precibus, neque dum ampla persuasione opus sit, qui omni ex parte tibi simus honori et comodo perpetuam et curam et diligentiam capimus. Narravi pretera quo in te animo Philodoxus affectus sit, quid exposcat, quid velit, nostro opere ex precibus fieri. Consulebam senem quid censeret; his adprobat, collaudat eam; quam ob rem huc te accersunt ut certiones nos redderes, quid tibi animi sit in nuptias.

Dox. Scio vos ea virtute preditos, ut possim tuto vobis, et credula et morigera esse. Ego et coniugium et reliqua omnia vostra, ex voluntate et sententia accipiam et recusabo; vos me videte quo me in ludo constituatis.

Phil. Hey mihi! quam timeo hunc senem, ut deficiat persuadendo. Frontisis viden quo in periculo res nunc sint, subijce admniculum, quicquam ut convincamus age.

Chr. Hoc volim scias me non ex toto adprobare virginem et bellum, diu domi sedere; quod et si plerumque fiat, tumque non adsit cui digne connubat; tumque in grandiorem familiam malint rem suam non tam per inde laudarem, id abs te fieri vel quia sola restes quod quidem suspictione non vacuum est vel quia cetera omnia, que in connubijs deliberandi causam solent adferre longe, cessent. Nam neque dos, neque affines, neque mores ulla ex parte se prebent: unde merito recuses nuptias: dixi.

Phil. Et pulcre dii te ament; ah! mi obsecro.

Chr. Me hercle dixti ut res est, necesse est has fieri nuptias, volo fiant: da manum: hic tibi sit vir: hec tibi sit uxor: voltis.

Phil. Volo.

Mni. Et tu id vis? quin dic malle volt hem!...

Dox. Volo.

Chr. Bene est.

Phil. Dii immortales! quis unquam me ditato hoc dixerit? Sum admodo beatus! Plaudite hoc meo bono, plaudite.

EXPLICIT PHILODOXIOS.

		ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 8	*v.* 1	vides	video
» –	» 23	volunt	volo
» –	» 26	fecissem	fecisse
» 24	» 30	certiore	certiores
» —	» 31	delegatis	: de legatis